



The Holy See

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA

FAIARDENSIS-HUMACAENSIS*

IN PORTU DIVITE NOVA CONDITUR

DIOECESIS FAIARDENSIS-HUMACAENSIS APPELLANDA

Venerabiles Fratres Robertus Octavius Gonza´lez Nieves, O.F.M., Archiepiscopus Metropolita Sancti Ioannis Portoricensis, et Ruben Antonius Gonza´lez Medina, C.M.F., Episcopus Caguanus, audita Conferentia Episcopali Portoricensi, ab hac Apostolica Sede antea petiverunt ut, quibusdam distractis territoriis a circumscriptionibus ecclesiasticis suis, nova conderetur dioecesis ad satius consulendum spirituali bono Christifidelium sibi creditorum. Nos, praehabito faventi voto Venerabilis Fratris Timothei Broglio, Archiepiscopi titulo Amiternini et in Portu Divite tunc Delegati Apostolici, de consilio Congregationis pro Episcopis admotae postulationi animarum saluti valde profuturae libenter concedendum esse putavimus. Summa igitur Nostra potestate sequentia decernimus. Ab archidioecesi Sancti Ioannis Portoricensis separamus territorium, prout in praesens lege civili circumscribitur, municipiorum nuncupatorum: Canóvanas, Loiza, Luquillo, et Rio Grande; a dioecesi autem Caguana seiungimus territorium, prout in praesens lege civili circumscribitur, municipiorum nuncupatorum: Fajardo, Naguabo, Ceiba, Vieques, Culebra et Humacao; atque ex ita distractis territoriis novam constituimus dioecesim Faiardensem-Humacaensem, quae iisdem limitabitur finibus, quibus praedicta municipia simul sumpta nunc lege civili terminantur. Sic conditae dioecesis sedem in urbe « Fajardo » ponimus, templumque paroeciale ibi situm, Deo in honorem Sancti Iacobi Apostoli dicatum, ad gradum ac dignitatem ecclesiae Cathedralis evehimus, in qua quidem Canonorum Capitulum, ad iuris normam, iubemus institui. Simulque in urbe « Humacao » templum paroeciale ibi exstans, Dulci Nomini Iesu dicatum, ad gradum ac dignitatem ecclesiae Concathedralis attollimus. Praeterea novam dioecesim Faiardensem-Humacaensem suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Sancti Ioannis

Portoricensis eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore eiusdem metropolitanae Sedis subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae statuimus, perficienda committimus Venerabili Fratri Iosepho Wesolowski, Archiepiscopo titulo Slebtensi seu Sancti Fiaci inter montes, Delegato Apostolico in Portu Divite, vel, ipso absente, illi, qui curat negotia Sanctae Sedis in eadem Natione; eisdem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito Congregationi pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae executionis, cum primum fas erit, mittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undecimo mensis Martii, anno Domini bis millesimo octavo, Pontificatus Nostri tertio.

THARCISIUS card. BERTONE <i>Secretarius Status</i>	IOANNES B. card. RE <i>Congr. pro Episcopis Praef.</i>
---	---

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Brennus Chestle, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. C (2008), n. 7, pp. 417-418 © Copyright 2008 - Libreria Editrice Vaticana